Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">

Johan

faciat et quis ipse in palam esse. Si enim hoc faciat manifesta temptet
mundo. Nec enim fratres eius credebant in eum. Dixit ergo eis Ihesus.
Tempus meum nondum aduenit tempus autem vestrum semper est paratum.
Non potest odisse nos mundus me autem odit quia ego testimonium phi
beo de illo quia opera eius mala sunt. Vos ascendite ad diem festum hunc
ego non ascendam ad diem festum istum quia tempus meum nondum impletum
est. Hec cum dixisset mansit in galilea. Vt autem ascenderent fratres eius
tunc et ipse ascendit ad diem festum non in manifesto sed quasi in occulto.
Iudei ergo querebant eum in die festo dicentes et dicebant. Vbi est ille
Et murmur multus erat de eo in turba. Quidam enim dicebant quia bonus est. Alii autem dicebant non sed seducit turbas. Nemo tamen
loquebatur palam de illo propter metum iudeorum. Iam autem die festo me
diante ascendit ihesus in templum et docebat. Et mirabantur iudei
dicentes. Quomodo hic litteras scit cum non didicerit. Respondit ihesus
et dixit eis. Mea doctrina non est mea sed eius qui misit me. Si
quis voluerit voluntatem eius facere cognoscet de doctrina mea utrum
ex deo sit an ego a meipso loquor. Qui a semetipso loquitur gloriam propriam
querit. Qui autem querit gloriam eius qui misit illum hic verax est et iustitia
in illo non est. Nonne moises dedit vobis legem et nemo ex vobis facit legem.
Quid me quaeritis interficere. Respondit turba et dixit. Demonium
habes. Respondit ihesus et dixit eis. Vnum opus feci et omnes mirantur
propter moises dedit vobis circumcisionem non quia ex moise est sed ex patribus
et in sabbato circumcidistis hominem. Si circumcisionem accipit homo in sabbato
ne soluatur lex moysi mihi indignamini quia totum hominem salum fecit
in sabbato. Nolite iudicare secundum faciem sed iustum iudicium iudicate. Di
cebant ergo quidam ex hierosolimis. Nonne hic est quem querunt interficere
ecce palam loquitur et nichil ei dicunt. Numquid vere cognouerunt prin
cipes. quia hic est xpus sed hunc scimus unde sit xpus autem cum ue
nerit nemo scit unde sit. Clamabat ergo ihesus docens in templo
et dicens. Et me scitis et unde sum scitis. et a meipso non venio sed
est verus qui misit me quem vos nescitis. Ego scio eum. et si dixero quia
nescio eum ero similis vobis mendax sed scio eum quia ab ipso sum et ipse
me misit. Quaerebant ergo apprehendere et nemo misit in eum manus.
quia nondum venerat hora eius. De turba autem multa crediderunt in eum
et dicebant xpum cum venerit numquid plura signa faciet quam quae hic fecit